

qui locum habet in vocibus categorematicis, hoc est, talibus, quæ certam rem per se significant, non autem in vocabulis consignificativis, quale est verbum illud, quod copula loco ponitur. Quinimò si tropus est in copula, non potest esse prædicatio disparati de disparato. Cum enim dico: Panis est, id est, significat corpus Christi: non prædicatur disparatum de disparato, sed relatio pani accedens de pane dicitur. Hæc ille.

34. Addit & illud argumentum Ioh. Piscator pag. 207. Nativa copula significatio est, inquit, ut sit nota affirmationis. Et p. 223. quæcumq; & quæcumq; varia sit habitudo prædicati ad subiectum, verbum Est, vid. copula, significationem unam constanter retinet, vid. significationem affirmandi. Non igitur ex habitudine prædicati ad subiectum significationem certam nanciscitur. Sic enim significatio eius pro habitudine illa varia & multiplici redderetur ipsa quoq; varia & multiplex. Vide etiam Aristotelem περὶ ἑρμηνείας, & eius interpretes.

35. Quid si copula omittatur? ut apud D. Lucam. cap. 22. v. 20. Hoc poculum N. Testamentum in meo sanguine pro vobis effusum. Neg; iam disputo, tropus ille in copula rectiusne metaphora à Zvinglio, vel metonymia ab auctore illo nominetur. Id potius miror, quos velit nominare testes ex Rethoribus novi illius tropi in copula. Nisi fortasse novæ Theologiæ Calvinianæ nova sit cudenda Philosophia, ex qua possit defendi: Græci certè Latiniq; scriptores tale nihil unquam prodiderunt publicis monumentis.

36. Effugium illud hominis infelix est, lib. 5. c. 6. obiect. 2. ubi negat, nativam copula significationem esse, ut sit nota affirmationis: addito argumento (Sophistico) quia inde consequens foret, omnia enunciata negantia esse tropica. Resp. Non ita. Nam si copula negatur, eo ipso evadit nota negationis. Unde enunciatum affirmatum definitur, cuius copula affirmatur: negatum, cuius copula negatur. Philosophus dicit: Consentanea disponi affirmando, dissentanea negando.